
SVB POTENTISSIMIS AVSPICIIS
EMIN.mi ET REV.mi PRINCIPIS S.R.E. CARD
IACOBI ROSPILIOSII
Theologicas Theses
CANON ADRIANVS DE CONIQVE HISPALEN
Clementini Collegy Conuictor
in eiusdem Aula
Publicè Propugnabat



EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

CARD. IACOBO ROSPILIOSIO,

ADRIANVS DE CONIQVE Faustitatem.



Te, Princeps Eminentissime, beneficia, quæ profluunt, quasi aliorum semina forent, vberiorem semper subolescunt in segetem, eam amplissimi Animi à Natura sortitus Indolem, & præclariorem præ cæteris Principum Dotibus Munificentiam, à Te ipso consecutus, vt beneficia, quæ tàm libenter impertiris, cumulare libentiùs gaudeas, & gratuleris. Hanc ROSPILIOSIAE stirpi ceù congenitum syderibus lumen satam in claro sanguine Dotem à CLEMENTE IX. Patruo tuo per vniuersum latè Orbem profusam, ad Te verum hæreditario iure traductam præ oculis habens, quamuis tot collatis in me beneficijs, tantisque nominibus mancipatus, ad Te denuò confidentiùs conuolo, vt quem splendidissimi Genij tui luce benefica facundum reddideris, & clarum etiam potentissimi Patrocinij Tui Vmbra, in hoc Theologicæ Concertationis discrimine securum tueri non desinas, & imperterritum. Cùm enim mihi vix fulserit prima huius Sacræ Doctrinæ Aurora, & obductum adhùc tenebris Crepusculum à Te benignè exceptum qualecumque fuerit lumen hoc geminabitur ad Meridiem. Hoc vt crederem, & sperarem suasere præstantiores in-

ter Cardinales Virtutes Prudentia, & Fortitudo, quarum nemini tàm rerum ignaro perſpicuum non eſt, quàm adamuſim Idæam referas: Siquidem in earum ſymbolis Lux, quam abundè geminant Te vnum, & Tuos per Gentilitij ſtemmatis Rhombos præſeferunt, & adumbrant; nec mihi duntàxat ex opticis inſpectionibus demonſtratum, ſed quotidianis ſignificationibus ita compertum eſt, vt non aliundè quàm à Te ſecurius, & honorificentius polliceri videar Præſidium, & Ornamentum. Excipe me igitur Princeps munificentiſſime, neque enim auſim vt moris eſt hoc munus vel tenue oblatum Tibi, ſed beneficium inter tot, quæ tàm abundè cumulas gratius in me collatum nuncupari, dum ſub incuſi Phrenoſchematis ſymbolo à Te nedùm tuendum, ſed formandum me planè conſtituo ad Tuæ normam Sapientiæ, & Claritatis. Scio in Tui iacturam eſſe, quem non modò aduerſa vt plurimùm valetudo, ſed altiores Regnorum, & Senatus Purpurei curæ eneruant, quòd in ſummum mei cedit profectum, & decus, in hac Theologica Concertatione Præſentia Tua frui, & Patrocinio; Verùm ſicuti carius Aerarium non habes, quàm aliorum fortunas amplificare, & theſaurum Tuum collatorum beneficiorum opulentiam iudicas, ſic etiam corporis detrimenta in incrementa Animi Virtutes ſcilicet libenter flectis, & eas præcipuè, quæ ROSPILIOSI ſtipitis Incliti auitos fructus præſeferunt Munificentiam, & Eutropeliam. Neque verò hic Te conueniant, & tot monumentis Clementiæ, tot Symbolis Pietatis, tot Virtutum trophæis, humanis omnibus, & diuinis Ornamentis excultum debere non mihi, ſed Tibi ipſi quod reddis, cùm eò iam Fama, & Gloria Tua deuenerit, vt ne dum in Te omnia Maiorum Tuorum dona Deus Opt. congeſſiſſe, ſed Virtutē ipſam vultum Tuum induiſſe videatur, adeò vt non minùs Natura, quàm Diſciplina perficias ſemper quod eſt maximum, & præclarum. Quid igitur Dotes Animi Tui Imperij, inquam, caſtiſſimè geſti moderationem, inculpatas regnandi artes, ſtudium Religionis

aſſi-

aſſiduum, Conſilij, & Solertiæ magnitudinem, de omnibus benemerendi Induſtriam, Comitatem vultus incomparabilem, Principum admirationem, Populorum beneuolentiam, Pietatem, Iuſtitiam, Fortitudinem, Prudentiam commemorem, quibus enim recenſendis ſub tanta rerum magnitudine hiſtorici ſtylus deficeret, tumultuarius & penè tranſcurrens penicillus inficeret potiùs, quàm efformaret, cùm præcipuè quæcumque de Te dixerim, Animo ſemper maiore confeceris, nec proſequi, & perficere fatigeris. Habes ex publica beneuolentia trophæum longè latèque ſplendidius, omnemque ætatis ſenectam laturum; Habes Vrbis & Orbis plauſum ceù vectigal, quo æuo omni ſuperſtes in hominum animis regnes; Habes tot vnde capiantur tùm è remoto, tùm è proximo Gloriæ monumenta, quæ nulla corrodet Rubigo temporum, nulla obliterauit obliuio Vetuſtatis. Tua igitur Fama Tuis Dotibus Te ipſo fruere, & profuſiſſimum erga ſingulorum ſtudia Animum ad Tui etiam ſecuritatem, ne tanta rerum mole obruatur, impende, neque enim gratius habemus Te ipſo incolumi Leuamen, Præſidium, & Ornamentum. Vale.

S E-

SELECTIORA DISPVTABILIA.

De Fide, Spe, & Charitate.

I.



IDES diuina, cuius obiectum attributionis eſt Deus, vt Deus, obiectum verò materiale adæquatum eſt omnis veritas tùm reuelata, tùm reuelabilis, reſpicit pro obiecto generali veracitatem, & diuinam reuelationem ſiuè publicam, ſiuè priuatam ritè propoſitam; Eccleſiæ verò authoritatem, tamquam miniſtram huius obiecti generalis, & infallibilem regulam credendi. Quæcumque creduntur implicitè continentur in eo, quod Deus ſit, & remunerator ſit; vndè fides non creuit quoad ſubſtantiam, & fidem implicitam, ſed ſolum quoad explicitam.

I I.

Myſteria Fidei, licet obſcura, ſunt tamen euidenter credibilia, quæ euidentia credibilitatis oritur ex pluribus motiuis, ſcilicet ex comparatione Sectarum cùm ſanctitate noſtræ Fidei, & eiuſdem vnitate, & antiquitate, & continua ſucceſſione Pontificum, ex perpetratione miraculorum, & ſimilibus. Hæc tamen Fidei noſtræ motiua non connectuntur metaphyſicè cum rei veritate, ſed ſolum ſpectata ordinatione diuina, & ex natura rei habent connexionem cùm ea re, cui atteſtantur, vt ponant moralem certitudinem de veritate noſtræ Fidei.

I I I.

Habet vlterius Fides certitudinem ſubiectiuam, & obiectiuam infallibilitatis, & adhæſionis. Eſt certior quacumque re creata, & ſcientia naturali, & æquè certa quàm ſcientia infuſa, & prophetia.



Ad eliciendum aſſenſum firmum prærequiritur pia affectio Voluntatis imperantis intellectui, vt credat. Illuminatur autem Voluntas per præcedens iudicium de credibilitate myſteriorum, vterque hic actus eſt in ſua entitate ſupernaturalis. Fides explicita Chriſti nec poſt ſufficienter promulgatum Euangelium eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem; benè tamen neceſſaria eſt neceſſitate præcepti.

I V.

Actus Fidei eſt eſſentialiter verus, vndè implicat poſſe Deum infundere errorem, aut habitum vitioſum, eſt etiam eſſentialiter obſcurus, nec poteſt ſtare cum euidentia in atteſtante, ſeù teſtimonij diuini, ſeu atteſtantis, niſi adſint aliquæ ſpecies obſcuræ. Eſt ſimpliciter & quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, non ſic verò ſpecies, quæ ad illum concurrunt, aut ab illo in memoria relinquuntur, illæ enim nullo modo ſunt ſupernaturales, hæ tamen quoad modum. Fides non eſt formaliter diſcurſiua. Actus Fidei definitur aſſenſus firmus in authoritate Dei obſcurè reuelantis fundatus. Actus Fidei dogmaticæ, & miraculorum ad eundem habitum ſpectant.

V.

Habitus Fidei, quia non acquiritur per actus, neque phyſicè intenditur per actus, deperditur, non per quodcumque peccatum, ſed per peccatum Hæreſis, & Infidelitatis, eſt eiuſdem ſpeciei, ſuſcipit tamen magis & minùs tàm extenſiuè, & ſecundum obiectum materiale explicitum, quam intenſiuè penes maiorem adhæſionem, & firmitatem aſſenſus, quæ creſcit, & minuitur penes maiorem penetrationem motiuorum. Fides habitualis non remanet, niſi in animabus purgantibus; in damnatis autem & beatis remanere poteſt de abſoluta potentia, in his remanet habitus piæ affectionis. Huiuſmodi fides fuit in Angelis Viatoribus, & Primis Parentibus: & ſicuti ſtat ſine gratia poteſt ſine illa infundi.

V I.

Infidelitas quæ opponitur fidei eſt duplex poſitiua & negatiua, hæc non eſt peccatum, ſed potiùs pœna peccati, ſi tamen ab ignorantia craſſa hæc infidelitas procedat, & culpabili eſt peccatum contra obligationem ſciendi ea, quæ debent credi. Illa verò ſem-

per

per est peccatum, & maximum omnium peccatorum, vno excepto odio Dei positiuo, non omnia tamen opera, quæ in eo fiunt, sunt peccata. Subdiuiditur infidelitas positiua in tres species adæquatas, in Paganismum, Iudaismum, & Hæresim. Pagani & Iudæi non possunt cogi ad fidem. Non potest fidelis cum illis communicare, nisi omne desit periculum peruersionis.

V I I.

Hæresis definitur error pertinax veræ fidei contrarius in eo, qui fidem aliquando fuerat amplexus: Vnde ad hæresim requiritur pertinacia, nec enim potest esse ex ignorantia, licet possit esse cum ignorantia. Sola hæresis externa subijcitur iudicio Ecclesiæ, à qua possunt hæretici cogi ad veram fidem. Dicuntur autem hæretici non solùm qui positiuè, sed etiam qui negatiuè dubitant de veritate mysteriorum fidei, si tamen adsit pertinacia.

V I I I.

Præter Scripturam sacram, & traditiones, quæ sunt regulæ infallibiles nostræ fidei dari debet regula quædam animata, & viua, atque hæc est Ecclesia Catholica, quæ generatim sumpta est Congregatio fidelium sub vno Capite visibili, quod est Summus Pontifex. Hæc nullo vnquam tempore deficit in orbe, est Visibilis, nec potest errare. Christus Dominus non præscripsit certum modum eligendi Pontificem; cùm autem Pontifex aliquid definit ab omnibus admitti debet esse de fide: Hic definiens aliquid in Concilio generali, aut extra illud errare non potest.

I X.

Spes, cuius obiectum materiale principale est beatitudo non solùm obiectiua, sed formalis; minus principale omnia bona tùm supernaturalia tùm naturalia, dummodò conducant ad consecutionem æternæ beatitudinis; obiectum verò formale æterna beatitudo, vt subest fidelitati Dei; reperitur in Viatoribus fidelibus etiam in mortali existentibus, dummodò actum contrarium desperationis non habeant, & remanet in animabus purgatorij tùm quoad actum, tùm quoad habitum, non autem in beatis, & damnatis.

Si

X.

Si Deus alicui ſuam reuelaret damnationem poſſet non ſperare ſuam beatitudinem, iudicando, quòd talem beatitudinem nunquam ſit habiturus. Actus ſpei ſpectant ad appetitum rationalem, non ad ſenſitiuum; deſperatio verò, quæ eſt animi deiectio à conſecutione veniæ peccatorum, & aliorum mediorum, quaſi nequeat homo ea etiam diuina ope adipiſci, in nullo actu intellectus formaliter conſiſtit, ſed in actu voluntatis.

X I.

Charitas, cuius obiectum materiale principale, & adæquatum eſt Deus; ſecundarium verò Proximus, quem diligimus propter Deum, habet pro obiecto formali diuinam bonitatem prout in omni genere entis dicit ſummam excellentiam.

X I I.

Datur præceptum diligendi Deum actu interno Charitatis; Vnde idem habitus, qui fuit in via, remanet etiam in patria, licet quoad perfectionem intrinſecam, ſeù intenſionem poteſt eſſe maior in aliquo Viatore, quam in aliquo Beato. Hæc eſt Virtus omnium præſtantiſſima, & augetur per opera bona ſupernaturalia.

De Incarnatione.

X I I I.



VMANAM naturam Verbo Diuino Hypoſtatice vniri, non repugnare ex facto cognoſcimus, dum extitiſſe iam fide credimus Incarnationem; potuit ab Angelo ſi non cognoſci, ſaltem aliqua ſuſpicione depræhendi. Fuit opus quidem conueniens, non tamen ſimpliciter neceſſarium; adhùc poſito decreto de creatione Mundi, hominis lapſu, eiuſdemque reparatione, non fuit neceſſarium Deum incarnari. Peccatum eſt iniuria ſtricta contra Deum, conſequenter per peccatum contrahitur debitum iuſtitiæ ad ſatisfaciendum Deo; Satisfactio Chriſti fuit condigna & æqualis pro peccatis hominum

num, & in huiusmodi satisfactione fuerunt seruatæ omnes conditiones rigorosæ iustitiæ; pura tamen creatura non potest mereri de condigno remissionem peccati mortalis, licet non habeat in se malitiam infinitam.

X I V.

Ex vi præsentis decreti si Adam non peccasset, Verbum diuinum nullo modo fuisset Incarnatum. Humanitas Christi de facto suam non meruit vnionem ad Verbum, nec ipse Christus hanc potuit mereri per opera subsequentia, potest tamen condignè mereri aliam vnionem cum alia persona. Vnio hypostatica est modus substantialis supernaturalis inter Verbum diuinum, & naturam humanam, quæ non existit per existentiam Verbi, & licet mysterium istud sit à tota Trinitate, sola tamen Personalitas Verbi terminauit naturam humanam; persona diuina potuisset etiàm assumere plures naturas, & eadem natura potuisset assumi à tribus personis diuinis.

X V.

Quæuis natura humana assumi potest à Verbo diuino, etiàm Angelica, & irrationalis, vndè partes tùm integraliter, tùm substantialiter incompletæ assumi possunt à Verbo, accidens tamen nequit hypostaticè vniri personæ diuinæ: Verbum diuinum non Corpus tantùm, sed etiam animam assumpsit, Sanguis immediatè fuit vnitus Verbo; idem dicendum est de alijs tribus humoribus, dentibus, capillis, qui & ipsi immediatè fuerunt assumpti. In intentione priùs assumpsit totum, quam partes, in executione verò priùs partes, quàm totum, nulla est implicantia, vt humana natura existens in propria subsistentia assumatur à Verbo.

X V I.

Humanitas Christi non per gratiam solùm habitualem, sed per sanctitatem increatam totius Verbi reddita est sancta, & grata Deo, in primo instanti Conceptionis habuit Christus gratiam habitualem, sicuti & visionem beatificam, ratione cuius carebat fide, non tamen habitu piæ affectionis. Quatuor in Christo sunt scientiarum genera, Increata, Visionis, infusa, acquisita, seù Experimentalis, per scientiam beatam videt Christus quidquid Deus videt per scientiam Visionis;

nis; Scientia infusa in Christo erat in substantia supernaturalis, hic tamen habitus erat discursiuus.

X V I I.

Christus non solùm per Visionem beatificam, sed etiàm per vnionem Hypostaticam præcisè redditus fuit impeccabilis; potest tamen assumi persona, quæ anteà peccauerat. In Christo non fuit fomes peccati, neque fuit necessitatus ad faciendum optimum ex parte obiecti materialis, nec potuit diuinitùs peccando demereri vnionem. Fuit tantum liber ad implendum præceptum mortis quo ad circumstantias. Datur vera, & propria Communicatio idiomatum, per quam verè & propriè rigorosè dicatur Deus est homo, & homo est Deus, in Christo fuerunt duæ Voluntates humana, & diuina, & fuit verus Sacerdos. Nullo modo potest admitti Christum esse filium Dei adoptiuum, per Communicationem Idiomatum, vt homo, est filius Dei naturalis, cui debetur Cultus Latriæ.

De Sacramentis in genere.

X V I I I.



ACRAMENTA antiquæ, & nouæ legis vniuocè conueniunt in ratione Sacramenti iuxta definitionem, qua Sacramentum dicitur signum sensibile rei Sacræ. Horum materia, quæ in rebus consistit, & forma, quæ in verbis, iuxta determinationem, quam habuit à Christo, est immutabilis ab Ecclesia. Gratiam ipsam non effectum aliquem, ad quem gratia consequatur, dignè suscipientibus ex opere operato Sacramenta causant, moraliter tamen non physicè, & inæqualem tùm attenta maiori, vel minori eorum excellentia, tùm suscipientium dispositione, quæ consistit in maiori fide, dolore, charitate &c.

X I X.

Determinare quandonam Sacramenta conferant gratiam pendet à diuersis placitis in materia constitutionis continui, quòd si componitur ex indi-

indiuisibilibus, in indiuisibili terminatiuo prolationis verborum; si ex partibus, in ea determinata, quæ includitur in duratione requisita ad completam materiam, aut formam, seù in ea quæ immediatè consequitur, conferunt gratiam. Omnia Sacramenta, quæ imprimunt characterem sunt irreiterabilia, fictè suscepta conferunt gratiæ, & donorum peculiarium effectum recedente fictione; quod sicuti de Matrimonio, Extrema vnctione, & etiàm de Pœnitentia sperare, & credere pium, ità de venerabili Eucharistiæ Sacramento asserere impium omninò autumamus.

X X.

Sacramentum in peccato confectum, vel administratum mortaliter interimit ministrum, sine intentione defraudat suscipientem, quare ad eius validitatem requiritur intentio saltem virtualis, quæ consistit in prosecutione alicuius operis incœpti dependenter ab aliqua intentione ab initio habita non retractata, nec notabiliter interrupta. Sacramenta legis scriptæ vt talia reduplicatiuè non conferebant gratiam ex opere operato, sed ex opere operantis. Circumcisio tamen, & remedium naturæ erant vlteriùs conditio sine qua non respectu iustificationis Infantium.

De Baptismo, & Confirmatione.

X X I.



APTISMVS simul fuit institutus, promulgatus, & in præcepto post Christi resurrectionem cùm discipulis apparens ait: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Est nouum Sacramentum spiritualis regenerationis, cuius materia remota est aqua naturalis, proxima ablutio, forma communiter: ego te baptizo cum inuocatione Sanctissimæ Trinitatis, de cuius essentia est vt non confusè, sed distinctè, non per notionalia, & æquiualentia nomina, sed per relatiua personalia, & pro-

propria, ſcilicet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & non aliter.

XXII.

Citra eorum mortis, & Apoſtaſiæ morale periculum poſſunt Infidelium infantes authoritate, & tutela Principum, quibus ſunt ciuiliter ſubditi, etiàm inuitis Parentibus, licitè baptizari. Baptiſmus eſt omnibus neceſſarius neceſſitate medij, nedum præcepti ad ſalutem. Triplicis eſt ordinis fluminis, flaminis, & ſanguinis; vltimus ordo, ſcilicet martyrium, tàm adultis, quàm infantibus, etiàm in ventre matris degentibus, confert gratiam.

XXIII.

Si fictè ſuſcipiatur Baptiſmus, recedente fictione, confert ſuum effectum, nempè infuſionem gratiæ ſanctificantis, remiſſionem peccati, tùm originalis, tùm actualis. Si quis habeat tantùm peccata commiſſa ante Baptiſmum per ſolam attritionem ſufficienter tollitur fictio, ſi verò habeat etiàm poſt Baptiſmum patrata, vt tollatur fictio requiritur contritio, vel attritio cum Sacramento Pœnitentiæ.

XXIV.

Quando attritio cum Sacramento Pœnitentiæ concurrit ad tollendum obicem, Baptiſmus, & Pœnitentia tantam gratiam conferunt, quantam conferrent, ſi diuiſim cùm ſua diſpoſitione ſuſciperentur; Gratiæ tamen intenſio producta per Baptiſmum, recedente fictione, operantem, menſuratur ab intenſione actus, per quem tollitur talis fictio. Peccatum diſparatum, & concomitans ipſum Baptiſmum, recedente fictione, tollitur vi Baptiſmi; peccatum verò ipſum fictionis, quod completur vnà cum Baptiſmo non poteſt tolli per Baptiſmum, ſed vel per contritionem extra Sacramentum, vel per attritionem in Sacramento Pœnitentiæ.

XXV.

Confirmatio eſt vnum ex ſeptem nouæ legis Sacramentis inſtituta à Chriſto in nocte cœnæ, cuius remota materia eſt Chriſma confectum ex oleo, & Balſamo per Epiſcopum benedictis. Oleum ex quo Chriſma confici debet, eſſe debet duntaxàt oliuarum, cum quo eſſentialiter neceſſaria eſt admixtio balſami, non tamen neceſſario Syriaci, ſed Ame-


Americani, aut cuiuſcumque alterius ſpeciei, dummodò ſit vere balſamum.

X X V I.

De neceſſitate pariter huius Sacramenti confirmationis eſt,quòd Chriſma ab Epiſcopo ſit conſecratum, ita vt ſimplex Sacerdos, neque ex licentia Summi Pontificis poſſit validum Chriſma pro materia huius Sacramenti conſecrare, aut conficere. Huius Sacramenti effectus eſt militaris robur ad differentiam Euchariſtiæ, qui eſt nutrimentalis, nec alium habet ordinarium miniſtrum, quàm ſolum Epiſcopum, licet ſimplex Sacerdos validè,& licitè ex diſpenſatione Papæ confirmare poſſit.

De Auguſtiſsimo Euchariſtiæ Sacramento.

X X V I I.



VCHARISTIA ex Tridentino eſt Sacramentum omnibus alijs excellentius, & permanens, cuius remota materia eſt panis, & vinum à Chriſto inſtituta, dum in vltima cœna ante conſecrationem miſcuit aquam vino, quæ mixta vino non eſt de neceſſitate Sacramenti, vertitur tamen ſemper in Chriſti ſanguinem, etiamſi phyſicè non ſit in vinum conuerſa, non in humorem flegmaticum, vt aliqui perperam voluerunt. Sacerdos tenetur ex præcepto diuino vtramque ſpeciem conſecrare, nec poteſt à Pontifice diſpenſari, vt in vna tantum conſecret, fideles autem omnes non tenentur ſub vtraque ſpecie communicare, imò ex præcepto laici ſub ſola panis, non inde tamen infertur, quin minorem gratiam habeant entitatiuè, licet connotatiuè ad ſpecialia dona habere non videantur.

X X V I I I.

Euchariſtia eſt Sacramentum permanens; ideò non includit verba conſecrationis eſſentialiter, tanquàm ipſius conſtitutiua; nec Sacramentum corporis differt à Sacramento Sanguinis; ad eius tamen vnitatem nume-

numericam requiritur physica continuatio specierum. Necessitate medij nullo modo est necessaria; necessitate tamen præcepti Ecclesiæ, & etiam Dei est necessaria fidelibus. Sub singulis speciebus est totus Christus; quare sub speciebus panis non solùm est Corpus, sed etiam sanguis, anima, & speciali modo diuinitas, quòd idem dicendum est de speciebus vini; non poni tamen possunt in Eucharistia Præsentia localis, quam habet Christus in cælo, & alia accidentia localia.

X X I X.

Supposita præsenti institutione non potest per consecrationem poni in Eucharistia Christus quin supponatur existens, eius autem præsentia Sacramentalis non dependet essentialiter à præsentia naturali eiusdem extra Sacramentum. Integra non manet substantia panis, & vini, nec aliqua eius pars, aut realitas substantialis, sed tota substantia realiter desinit esse; & licet non implicet Corpus Christi fieri præsens accidentibus remanente substantia panis, implicat tamen hoc fieri per Verba consecrationis, quæ de facto adhibentur salua propria, & rigorosa significatione. Et vera, & rigorosa conuersio in Eucharistia totius substantiæ panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi, in qua conuersione Eucharistica pro vt de facto explicari solet, productio substantialis, vel noua conseruatio Corporis Christi, implicat etiam de absoluta Dei potentia, imò si esset possibilis non esset necessario admittenda.

X X X.

Modus aliquis, vel aliqua habitudo, aut connexio substantialis cum speciebus non producitur in Corpore Christi per Eucharisticam conuersionem, quæ sufficienter explicatur per desitionem substantiæ panis, & successionem Corporis Christi cum aliquo tamen ordine, adeò vt successio Corporis Christi sit prior natura, vel ratione desitione substantiæ panis. Accidentia quæ remanent in Eucharistia non inhærent vlli substantiæ; inhærent tamen quantitati tanquàm in subiecto, & à Corpore Christi tanquàm ab instrumento Dei conseruantur separata speciali, & supernaturali concursu, ante omne opus intellectus ab accidentibus distincto, qui tantùm terminatiuè quantitati adhæret, non inhæret, & ita cum ipso connectitur, vt ab ipsa quantitate solùm à posteriori essentialiter dependeat.

Mini-

X X X I.

Minister consecrationis est solus Sacerdos ritè ordinatus; imò quicumque Sacerdos etiam excommunicatus, suspensus, interdictus, degradatus, & hæreticus validè conficit hoc Sacramentum, dummodò habeat intentionem, proferat verba necessaria quoad substantiam supra materiam idoneam sufficienter præsentem, & determinatam. Subiectum capax est solus homo baptizatus, vndè excluduntur Catechumeni, & Angeli; Infantibus verò quia ex Ecclesiæ consuetudine licita erat administratio Eucharistiæ: Ideò etiam nunc si inconsultò, vel ex praua intentione administraretur, gratiæ augmentum in his produceretur.

De Sacramento, & Virtute Pœnitentiæ.

X X X I I.



OENITENTIA secundùm quòd est Sacramentum, est signum sensibile gratiæ sanatiuæ significatiuum, & causatiuum, cuius essentiales partes propriè, & in recto sunt sola Confessio, & absolutio, quamuis Contritio, & satisfactio ad eius integritatem, & valorem pertineant, prima necessariò, secunda contingenter. In re non est necessaria necessitate medij etiam lapsis post Baptismum, sed necessitate diuini præcepti, in voto tamèn vtiquè, licet non necessariò explicito, sed implicito. De lege ordinaria sine retractatione peccatoris non remittuntur peccata, possunt tamen de potentia absoluta Dei etiam sine ea per condonationem extrinsecam remitti. Merita omnia per peccatum lethale mortificata per subsequentem Pœnitentiam reuiuiscunt.

X X X I I I.

Absolutio vt sit vera, & valida forma huius Sacramenti debet proferri per realia, & distincta verba, quæ sint sonus animalis ore prolatus; inuocatio tamen Sanctissimæ Trinitatis non pertinet essentialiter ad eam, sed sola verba *Absoluo te*, quibus immediatè completis, etiam si alia addantur, producitur gratia. Pariter vt sit valida, debet esse absoluta,

non deprecatoria : imperatiua verò periculosa est. Habetur per eandem vera remissio peccatorum quoad culpam, & pœnam æternam, illiusque sensus est, quem verba sonant iuxtà hominum institutionem sine vllo addito. Mutata non retento sensu saltem æquiualenti Sacramentum irritat, sicut & sub conditione de futuro enunciata, secùs verò sub conditione de præsenti.

X X X I V.

Contritio relata ad Sacramentum Pœnitentiæ non debet necessariò præcedere tempore, vel natura Confessionem, sed sufficit si præcedat absolutionem. Vna & eadem deseruire potest pro congrua, & sufficienti dispositione plurium absolutionum, & consequenter sine illius renouatione plura, & noua Sacramenta constitui, siuè eadem iteratò peccata confiteantur, siuè etiam diuersa. Vt tamen sit vera pars debet aliquo modo ad hoc Sacramentum referri, & etiam in confessione Venialium requiritur eodem modo efficax pro validitate Sacramenti. Sacramentalia quæcumque, quantùm nobis constare potest, non habent vim delendi Venialia ex opere operato, sed ex opere operantis per excitationem motus interioris Venialibus contrariam.

X X X V.

Confessio Sacramentalis non est Apostolorum, aut Ecclesiæ inuentum, sed ipsius institutio ex Verbis traditæ potestatis à Christo infertur. Huius finis dummodò non excludatur à Pœnitente intermixto etiam malo, qui tamen non sit culpa grauis non irritat Sacramentum; sicuti nec præteritio circumstantiæ simpliciter aggrauantis specificæ confessionis integritati, & validitati officit Sacramenti.

X X X V I.

Satisfactio Sacramentalis non necessariò causat gratiam ex opere operato, si in statu peccati adimpleatur habet suum effectum obice remoto, & quęcumque licet prudentissimè existimata æqualis reatui à competenti Iudice, si non sit talis, non tollit omnem reatum pœnæ debitum peccatis, ad eamque acceptandam, & implendam obligatur pœnitens sub graui culpa.

Pœni-

XXXVI.

Pœnitentia eſt Virtus ſpecialis à Religione, Iuſtitia &c. & omnibus alijs diuerſa, non tamen Theologica, ſed moralis, cuius formale obiectum non eſt bonum compenſationis, ſed æqualitas moralis cum Diuino iure inclinans ad habendam cum ipſo pacem, & tollendam, ſeù etiam vitandam ipſius offenſam, materiale autem quicumque actus conducens ad eam pacem conſeruandam, vel reparandam, & hoc eſt duplex Electionis, vt ſunt opera ſatisfactoria, & fugæ peccati tam proprij quàm alieni. Huius Virtutis actus, ſcilicet contritio, vt ſit ſufficiens ad peccatoris iuſtificationem, etiam extra Sacramentum, debet procedere ex ſpeciali motiuo charitatis, quod ſi præſtet, coniungitur ſemper cum remiſſione peccati etiam ante actualem Sacramenti receptionem.

De Sacramentis Extremæ Vnctionis, Ordinis, & Matrimonij.

XXXVII.



LEVM purum oliuarum ab Epiſcopo benedictum, non verò Chriſma eſt remota materia Extremæ Vnctionis, quæ eſt verum nouæ legis Sacramentum, Proxima, Vnctio, ſeù per aſſignatas partes diſtributa, ſeù vnica cum correſpondenti forma eſt ſufficiens ad integrum effectum gratiæ, & peccatorum reliquias in ſenſibus omnibus abſtergendas, & ſanitatem corporis inducendam; de cuius neceſſitate eſt infirmitas corporis periculoſa proximè cum remota ſpe vitæ coniuncta. Pueris vſus rationis capacibus, licèt nondum confeſſis, & communicatis conferri poteſt, & debet, ſecùs Infantibus, & perpetuò amantibus. Illius ſumptio non obligat ſub mortali, & iterabilis eſt etiam in eadem infirmitate, dummodò ſtatum variet, & mortis articulum cum notabili diſtractione temporis repetat.

XXXVIII.

Ordo quamuis præcipuè nomen, & essentiam Sacramenti tribuat Sacerdotio, Diaconatui, & Subdiaconatui, non tamen excludit alios quatuor minores. Fuit à Christo institutus, sicut & Episcopatus, cuius specialis potestas, quam supra Sacerdotium addit, licet non constituat Episcopum in distincto ordine Sacramentali, dici tamen potest amplè ordo quatenùs ponit in gradu eminentioris potestatis, & hoc ipso eodem respectu Papatus institutus est à Christo, & est de Iure Diuino. Effectus huius Sacramenti principalior est gratia, secundarius Character perfectior ad mensuram excellentiæ ordinum, licet extra fines probabilitatis non sit, iuxtà optimam doctrinam Thomisticam de intensione, Characteres non esse entitatiuè distinctos pro ordinibus diuersis, sed vnicum, & eundem cum diuersa extensione, & radicatione sufficere. Ecclesiasticis adnexa est immunitas à sæculari potestate, quæ non solum de iure positiuo est, sed diuino, sunt etiam ciuilibus legibus in bonum Reip. conditis Ecclesiasticæ libertatis, & dominio non præiudicantibus obstricti.


XXXIX.

Matrimonium verè, & propriè Sacramentum est, practicum, & efficax signum gratiæ, tàm inter absentes per procuratores, quàm inter præsentes contractum, cuius materia, & forma sunt verba, & signa coniugum consensum mutuum exprimentia secundùm diuersos respectus traditionis, & acceptationis. Consistit in vinculo, quo sunt formaliter coniuges vniti resultante ex mutuo iure inuicem habito. Cadit sub præcepto non positiuo, sed naturali; & Poligamia, quamuis contra legem naturæ sit, primario fini matrimonij non aduersatur. Qui Religionem ingreditur alterius soluit sponsalia in sæculo relicti, nó sua, secus verò per simplex votum Castitatis dirimentis ex parte vtriusque. Vinculum matrimonij: Potest de potentia Dei absoluta fieri absq; Coniugum consensu, quod tamen præstare non potest vlla prorsus potestas ciuilis, vel Ecclesiastica. Non sufficit ad matrimonium consensus fictus, aut merè internus, sed esse debet, nedum verus, sed per aliqua sensibilia signa externus. Clandestinum ante Tridentinum semper fuit validum, secus verò post, Ecclesia non immutante, sed determinante materiam Sacramenti. Reliqua ad Iuristas.

De

De Indulgentijs.

X L.



NDVLGENTIA congruentiùs explicatur per paſſiuam remiſſionem, quàm per actum ſpiritualis poteſtatis, cuius valor non ad menſuram deuotionis ſuſcipientis, ſed ad elargientis tenorem referendus eſt. De fide eſt eſſe in Eccleſia huiuſmodi poteſtatem, ſicuti & theſaurum, vndè extrahuntur, qui tàm ex Chriſti, quàm ſanctorum ſuperabundantibus ſatisfactionibus, & meritis tàm de congruo, quàm de condigno coaleſcit, ſine cuius applicatione concedi non poſſunt. Plenaria hæc poteſtas diſpenſandi Indulgentias in ſolo Pontifice eſt, & de iure diuino, quam in nullo euentu habet Concilium etiam generale ex ſe, licet & ipſe Pontifex incongrua diſpenſatione peccare etiam grauiter poſſit. Cardinales qui ex conſuetudine 100. dies in ſuis titulis, & Epiſcopi, qui limitatam in iure poteſtatem habent, ſi excedant modum Iuriſdictionis, & conſuetudinis in conceſſione, adhùc quantùm ad menſuram ſibi competentem intelligeretur valida promulgatio. Eſt autem hæc poteſtas non ordinis, ſed ſolius Iuriſdictionis.

X L I.

Indulgentiæ effectus non ſolùm eſt pœnam temporalem remittere correſpondentem ſatisfactionibus Sacramentalibus iniunctis, verùm etiam alijs peccatis, dummodò quoad culpam remiſſis, & qui eas lucratur eſt in conſcientia liber ab implenda Pœnitentia habita in Sacramentali iudicio confeſſionis. Non tàm baptizatis, verùm etiam Cathecumenis prodeſſe poſſunt, & defunctis per eleuationem operum viuorum, vt ſint ſatisfactoria ex opere operato pro iiſdem, necnon peccatori obice amoto, dummodò præſcriptæ diligentiæ aſſignato tempore fuerint adimpletæ.

